



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

I. Quod actor ei quem conuenit, super aliis negotiis in eodem iudicio  
tenetur respondere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

Appellans metu literarum, quas scit impetratas ab aduersario ante citationem.

Ante litis ingressum appellans.

Excommunicatus, præstato iuramento absolutus, si statim appellauerit, antequam mandatum susceperit, & susceptum secundum posse suum non fuerit profecutus, non auditur appellans.

Institutus in ecclesia, dicens se velle ibi residere & curam eius gerere, postmodum absentans se sine causa rationabili, priuatufque beneficio, non auditur appellans.

Si tibi habenti alios redditus prima vacans concessa fuerit, & cum vacauerit, appelles, ne alius instituat, non audieris.

Si dispositio alicuius ecclesiæ spectet ad capitulum, & non disposuerit infra terminum præfinitum, episcopus appellatione cessante disponere poterit: sic & e conuerso.

Si interponit generalem appellationem ab omni grauamine, non auditur appellans.

A delegato, qui delegauit, referuata sibi definitiua sententia, appellare non potest.

PARS XI. VT ACTOR RESPONDEAT  
EI QVEM CONVENIT.

CAP. I.

*Idem\* Volterano archiepiscopo.*

**E**x literis vestris accepimus, quod dilecti filii nostri abbas & fratres Maturiensis monasterii, super quaestionibus quas plebanus & clerici Maturiensis aduersus eos proponunt, vestrum parati fuerint grauamen subire, si illi in continenti de suis quaestionibus\* debent respondere.\* *vellent*  
Vnde quoniam indignum penitus, & absurdum videtur, vt memorati plebanus & clerici, abbati & fratribus de his quæ aduersus eos proponunt, respondere non debeant, cum sibi exinde iustitiam postulant exhiberi: discretionis tuae, &c. quatenus actione clericorum & plebani proposita, & responsione facta, eos moneatis auctoritate nostra & districtius compellatis, memoratis abbati & fratribus

Actorem  
reo, quem  
conuenit  
super aliis  
negotiiis, in  
eodem iudicio  
respondere  
debe-  
re.

ANNO  
CHRISTI  
1179.

super quaestionibus suis coram vobis respondere, & vos vicissim postmodum rationes & allegationes partis vtriusque diligentius audiat, & cum concordia vel iudicio terminetis.

CAP. II. *Idem decano & clericis Maturiensibus.*

Miramur plurimum & mouemur, quod cum causam qua inter vos & dilectos fratres abbatem & fratres Maturiensis monasterii vertitur, dilectis filiis nostris archidiacono V Volterano & abbati de Spongia commissemus sine debito terminandam, & abbas & fratres parati essent iudicium illorum subire, si vos eis super quaestionibus, quas aduersus vos proponunt, deberetis respondere in continenti, sicut iidem iudices nobis literis suis intimauerunt, id efficere noluitis. Vnde quia rationis ordo hoc exigit, vt si quis sibi vult ab aliquo iustitiam exhiberi, ei non debet quod iustum est denegare, fraternitatem vestram &c. quatenus accusatione ipsa, quam aduersus praedictos abbatem & fratres intenditis, proposita, & responsione facta eidem abbati & fratribus coram praedictis iudicibus in continenti respondeatis: vt causa vestra & ipsorum vicissim postmodum audiri debeat & terminari. Nos enim eisdem iudicibus dedimus in mandatis, vt vos ad id faciendum instanter moneant, & auctoritate nostra districte compellant.

DE EO QVI CONSANGVINEAM PAR. XII.

VXORIS SVÆ, VEL SPONSAM PATRIS SVI,  
vel consanguineam sponsæ propriæ cognouit.

CAP. I.

*Idem Vuirgorniensis episcopo.*

SI quis parochianorum tuorum matrem forte vel sororem, vel filiam vxoris suæ carnaliter cognouerit, & hoc publicum & manifestum fuerit, ab ea penitus est separandus, & vterque illorum, scilicet tam mœchus quam mœcha, debet sine spe coniugii perpetuo permanere. Si autem hoc secretum & occultum fuerit, pœnitentiam de commisso debet accipere, & vxori suæ infra tempus pœ-

27. Quest.  
2. Qui dor  
mit.